Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift



ligionis iniuriam infractione ydo
lorum suorum existimans: in filio vero
artis magice prauitatem fragmenta
collegit: et ea diocleciano represen
tauit dicens. Filius meus neani
as xpianorum uanitatibus seductus.
atque magice iniquitatis corruptela
immutatus: inuictissimos deos meos
in hec fragmenta ~~collegit: et ea dio~~
~~cleciano repsentauit dicens~~ ad eo
rum blasphemiam mutauit. Tunc
diocleciano precepit: ut neanias
fustibus cederet. Cesus itaque fustibus
neanias carnibus eiusdem penitus la
niatis: traditus est in custodiam pu
blicam. Custos vero carceris cum esset a
micus ipsius gramine strauit ei.
Nocte vero sequente facta est lux mag
na in carcere: et in medio lucis appa
ruit neanie ihesus xps dicens. Nichil
timeas neania: sed recipe salutem
signaculo sancte crucis. Statimque redac
ta est tota caro eius in pristinam
integritatem: ut nec ulla uulnera:
nec ulla uulnerum uestigia in eo
appareret. Sequente uero die mater
sua neaniam aspiciens illesum: et in con
spectu ipsius alias deorum suorum offe
rens ymagines inquit. Ecce dy
mei fili dilectissime: apud quorum in
effabilem clementiam tota hac nocte
supplicationibus et sacrificiis laborans
pristinam uulneribus tuis salutem im
petraui. Adora igitur eos et uiues. Tunc
neanias facto signo crucis: cum cruce
quam semper secum gestabat: super idola
matris inquit. Peant ydola tua in
uirtute sancte crucis. Et continuo con
uersa sunt uniuersa idola theodosie in aquam
quasi effusam que subito euanuit.

tanquam subitus torrens. Tunc theo
dosia eo amplius indignata: quod
nichil deorum suorum super esse cernebat:
super dictam deorum suorum blasphemiam
diocleciano recitauit. Diocleciano
vero minime intendens iuuenis cor
rectionem in tormentis ut ante: sed uo
lens nouam ac prius inauditam deorum
iniuriam ulcisci: tradidit neaniam
cuidam flauiano tribuno mili
tum. Hic neaniam a pedibus in eculeo
suspendens: carnes eius eneis
fuscinulis undique lacerauit: et uul
nera pice ac sulphure fumigauit.
Qui cum non posset iuuenem his tor
mentis a fide reuocare: cupiens penam
eius aliis inculcare tormentis: et obhuc
uitam eius ad alia reseruare tormenta:
sumptum de eculeo neaniam intulit
in carcerem. Ubi sequente nocte con
spiciens splendorem: uidit domi
num ihesum in medio splendoris dicen
tem. Confide neania in uirtute sancte
crucis: ut non deficias in tribulationibus
sed peruenias per tribulationes ad mar
tirij coronam. Propter quod non uoca
beris ulterius neanias: sed uocaberis
procopius. Et restituta est caro eius
in omnimodam incorruptionis no
uitatem. Sequente vero die populus
uidens procopium illesum: miratus
est qua nam uirtute dolor atque
uulnera que ipsi uiderant eua
nuerint. Theodosia quoque uidens
filium suum: post tam uaria tormenta
illesum esse: conuersa est cum xij nobi
libus et centum aliis inferioris ordi
nis mulieribus ad fidem domini nostri ihesu
xpi. Que omnes una die de colla
te migrauerunt ad dominum. Fla